



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Actus Contritionis Ex P. Wilhelmo Nakateno Soc. Jesu in Thesauro Sacræ Supellectilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

impedimento obnoxius effici, etiam Ordinario suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debet, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit. Ad hæc nullus Episcopus alienæ Diocesis subditum Familiarem suum ad aliquos Sacros, seu minores ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat absque ejus proprii, originis scilicet, seu Domicilii Prælati Testimonialibus litteris, ut supra, & nisi ad præscriptum Concilii Tridentini præfati sess. 23. cap. 9. de ref. familiarem prædictum per integrum & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; Beneficium insuper quod ei ad vitam sustentandam juxta modum superius præfinitum, sufficiat, quacunque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis à die factæ ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus, & Apostolica auctoritate ita volumus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione Originis, sive Domicilii subditos Clericos quoscunque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supra dicti sess. 14. cap. 3. de Reform. quoad scientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quo ad illos præsentis Constitutionis forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis benevolo ad docendum de hujusmodi adimplemento; ita ut quos eo termino elapso id minime præstitisse compererit, à susceptorum ordinum exercitio, si ita, & quamdiu ei expedire videbitur, suspendere; illisque ne in altari, aut in aliquo ordine ministrarent, interdicere possit. Ita verò præmissa omnia, & singula perpetuò ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem à collatione Ordinum per annum, Ordinatus verò à susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ Nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subiaceat.

Decernentes pariter easdem præsentis litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus & per omnia plenissimè, & inviolabiliter observari. Sicque & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & Delegatos &c. sublata &c. ac irritum, & inane, si secus &c. Non obstantibus &c. quibus &c. cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1694 Pridie Nonas Novembris, Pontificatus Nostri Anno quarto.

ACTUS CONTRITIONIS

Ex P. Wilhelmo Nakateno Soc. Jesu in Thesaurò Sacrae Suppellectilis.

AMo te Deus super omnia, & ex solo amore tui doleo ex intimo corde, quòd te summum bonum meum, summo malo, id est peccato, offenderim, ignosce precor per merita acerbissimæ passionis tuæ, cupio per tuam gratiam emendare, & implere legem tuam.

Brevior.

Deus meus, & omnia, propter te, quem summè diligo, intimè doleo quòd unquam peccavi.

Quia te offendi, emendationemque propono in futurum.

Oportet itaque, ut peccator se poeniteat offendisse Deum non tam ob supplicium, aut damnum, quod incurrit, quando mortaliter peccat, quia esset tantum attritio, quæ non potest nisi Confessione conjuncta peccata mortalia delere. Sed necesse est, ut potissimum doleat de peccatis, quia per ea offenditur Deus summum Bonum, & in hoc consistit vera, & perfecta contritio.

Pœnitementi, & convertimini, ut delectentur peccata vestra. Act. 3.

Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Psal. 50. Docete omnes Gentes.

Instructio Parochorum, & Confessariorum pro casibus, quorum absolutio, seu dispensatio à Sacra Poenitentiaria Apostolica impetratur.

Cum sæpè sit experientia compertum plurimos utriusque sexus Christi fideles, & præcipuè in longinquis degentes censurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, nec non Irregularitatum, & casuum, quoquo modo reservatorum, ligaminibus adstrictos, ad Sanctam Sedem, ejusque Sacram Poenitentiariam spectantibus irretitos, in illis lachrymosè persistere, & continuis conscientia agitationibus laboriosè perdurare, cujus mali casus ex similibus provenire innouit.

Primo eo, quod Parochi, vel alii, ad quos hujusmodi Pœnitentes recurrere contingit, in Pagis aut locis Ruralibus degunt, & viam, modumque recurrendi ad præfaram Sacram Poenitentiariam ignorant, nec aliquem hic Romæ agnoscunt, ad quem supplicationes dirigant, unde Pœnitentes perplexos dimitunt, qui cum ad Ordinarium accedendi, (præsertim si sint foeminae) verecundia, aut timore intercluduntur, consilium ulterius requirere

nescientes, remedium desperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & casibus reservatis, cum periculo damnationis infordeſcunt.

Secundò evenit, quod Pœnitentes egeni recognitionem pro ſollicitatione, & labore Agentium Romæ commemorantium, ex ſolvere non valentes, marentes, afflicti, ac conſcientiæ motibus conculſi, in periculoſo ſtatu manere coguntur, & forte (quod pejus eſt) ſibi perſuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal, aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum revera Sacræ Pœnitentiariæ Miſiſtri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam ſpontè oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, ſingulos ad ſe recurrentes, ſerena fronte complectantur.

Tertiò accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxta expoſita obtentæ, irritæ evadant, eo quia caſus, & circumſtantias neceſſarias retineant, unde fit, quod litterarum executores, caſu poſtea Pœnitentium examinato rem aliter ſe habere, quàm expreſſum fuerat, comperiant, & gratias ſubreptitias, aut obreptitias eſſe inveniant, quare Pœnitentes conſuſi remanent, & ſpe novæ diſpenſationis ſe carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus &c. miſerabili ter remanent.

Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum eſſe ſperatur, ſi iſte modus recurrenti ad ipſam Sacram Pœnitentiarium proponatur.

Confefſores itaque, cum Pœnitentes vinculis præfatis irritos ad ſe accedere contigerit, caſuum qualitates, & præfatorum caſuum circumſtantias conſiderent, cauſasque diſpenſationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne quod occultum eſt, publicum faciant, præſertim impedimenta occulta matrimoniorum, nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiarium.

Et ſic præfati Confefſores poterunt caſus Pœnitentium præfatos cum dictis circumſtantiis, & cauſis exponere, ſive latino, ſive quocunque alio idiomate propriæ Regionis, nam ſacra Pœnitentiarium ſuos ex quacunque Regione Pœnitentiarium subordinatos habet; & exprimant inſuper in fine expoſitionis caſus, nomen, cognomen, cui ſit à Sacra Pœnitentiarium reſcribendum, etiam ſi ipſum nomen, &

cognomen ſit fictitium. Itemque modum, per quem reſponſio ſecura dirigi poſſit, ſignificando ſcilicet vulgari nomine, Oppidum, ſeu Civitatem, & Regionem cum data menſis, & anni in hunc modum.

Intus incipiant Epiſtolam, ſeu ſupplicationem ſic.

Eminentiffime, & Reverendiſſime Domine,

N. Mulier emiſit votum ſimplex caſtitaſ, manet in periculo incontinentiæ, niſi nuba; ſupplicat ſibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminent Epiſtolam, ſeu ſupplicationem ſic.

Dignetur Eminentia Veſtra reſcribere ad N. & N. & exprimant nomen, & cognomen illius, cui eſt reſcribendum, ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitaſ. Per Oppidum N. exprimendo, vulgari nomine, nomen Oppidi: Et dirigere Breve, ſeu gratiam ſimplici Confefſario, ſeu Confefſario Magiſtro in Theologia, ſive Decretorum Doctore, ſive Parocho, cui Pœnitens aperuit ſuam conſcientiam, ne ipſe Pœnitens, & præſertim ſceminæ cogantur circumire pro executione gratiæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epiſtolam, ſeu ſupplicationem ſcribendo, extra, ſeu à foris in hunc modum.

Eminentiffimo, & Reverendiſſ. Domino Cardinali Majori Pœnitentiarium.

Romam.

Et ſi tardaverit Reſponſio, Confefſarii reſcribant, & ſi opus fuerit, ſemel, & iterum, ne forte prior Epiſtola ſit deperdita.

Rogantur inſuper Parochi, ſive Confefſarii, ad quos præſentes litteræ pervenerint, illarum notitiam, quibus poterunt, pro animarum ſalute communicare.

Ne elaborent nimis Confefſarii in dando executionem litteris, ſeu gratiis Sacræ Pœnitentiariæ, impreſſus eſt Romæ in Typographia Apoſtolica liberculus, cuius titulus eſt: MANUDUCTIO AD EXEQUUTIONEM LITTERARUM SACRÆ PœNITENTIARIÆ NECESSARIA CONFESSARIIS, PAROCHIS, EPISCOPIIS, ET RELIGIONUM SUPERIORIBUS, in qua non ſolum datur modus exequendi litteras Sacræ Pœnitentiariæ, ſed etiam modus legendi breviter charactere Goſico ſcripta.

FINIS.



INDEX